

<sup>3</sup> \* quorum in aliis, ut in Antipatro poeta ut in brumali  
<sup>5</sup> die natis ut in simul aegrotantibus fratribus ut in urina  
 ut in unguibus ut in reliquis eius modi, naturae con-  
 tagio valet, quam ego non tollo, vis est nulla fatalis;  
 in aliis autem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo <sup>5</sup>  
 naufrago ut in Icadio ut in Daphita; quaedam etiam  
 Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur;  
 sunt quidem absurda. quid enim, si Daphitae fatum  
 fuit ex equo cadere atque ita perire, ex hocne Equo,  
 qui cum equus non esset nomen habebat alienum? <sup>10</sup>  
 aut Philippus hasne in capulo quadrigulas vitare mone-  
 batur? quasi vero capulo sit occisus. quid autem ma-  
 gnum aut naufragum illum sine nomine in rivo esse  
 lapsum (quamquam huic quidem hic scribit praedictum  
 in aqua esse pereundum) — ne hercule Icadii quidem <sup>15</sup>  
 praedonis video fatum ullum; nihil enim scribit ei prae-  
<sup>6</sup> dictum. quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura  
 eius incidisse? puto enim etiamsi Icadius tum in spelunca  
 non fuisset saxum tamen illud casurum fuisse. nam  
 aut nihil omnino est fortuitum aut hoc ipsum potuit <sup>20</sup>  
 evenire fortuna. Quaero igitur, atque hoc late patebit:  
 si fati omnino nullum nomen nulla natura nulla vis